



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Arelatense Svb Liberio Papa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO CHRISTI 352.
 Ne tamen eiusmodi occasione Constantius imperator, (cuius voluntate cuncta ista fieri sentiebant omnes, qui in eadem Synodo cum Liberio erant) in Romanam ecclesiam grassandi ansam arriperet; illud ibi ab iis tunc decretum fuit, vt legatio de cogendo Aquileiæ Concilio ad ipsum Constantium mitteretur. deputati sunt Vincentius & Marcellus Campaniæ episcopi. Verum cum Magnentianum bellum impedimento esset, quo minus hæc pertractari possent, ad annum sequentem, post expugnatum tyrannum, legatio dilata fuit. Quis effectus fuerit legationis, vide notas seq. Concil. Arclat. Hæc ex epistola Liberii ad Osium & Constantium. Baron. anno 352. num. 11.

Prima legatio in hoc Concilio deputata est.

CONCILIVM ARELATENSE SVB LIBERIO PAPA.

In quo Paulinus Treuirorum episcopus, quod in Athanasii damnationem subscribere nollet, Arianorum factione depositus est, anno Christi CCC LIII. Liberii papæ 11. Constantii Aug. xv 11. in Gallia 1.

ANNO CHRISTI 355.
 IN hac Synodo, cui & Constantius imperator, & Valens atque Ursacius, alique Arianæ factionis principes, cum Saturnino Arelatensi episcopo interfuerunt, vi metuque compulsi sunt orthodoxi, vt in Athanasii damnationem subscriberent. Edicto quippe sanxerat Constantius, vt qui subscribere detrectarent, exilio multarentur. De hoc ergo Arelatensi Conuentu Sulpitius Severus lib. 11. historiae scribit his verbis: Cum sententiam Arianorum, quam de Athanasio dederant, nostri non reciperent, edictum ab imperatore proponitur, vt qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exilium pellerentur. Ceterum a nostris tum apud Arelatem ac Biterras oppida Galliarum Concilia fuere. Petebatur vt priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent; nec tum demum de re cognoscendum, cum de persona iudicium constitisset. Sed Valens, sociique eius, prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partium conflictu agitur in exilium Paulinus. Unus hic enim Arianorum in hac Synodo conatibus, cum ceteri cederent, constanter obstitit. eamque ob causam a Synodo iam corrupta damnatus, in exilium ab imperatore pulsus est. Hilarius in libello ad Constantium: Eusebius post A-
 Concil. Tom. 3.

X ij

relatensem Synodum, cum Paulinus episcopus tantis istorum sceleribus contraxisset, venire Mediolanum precipitur. *Hilarius idem in fragmentis.* Incipiam igitur ab his quæ proxime gesta sunt, id est eo tempore, quo primum in Arelatensi oppido frater & comminister meus Paulinus ecclesiæ Treuirorum episcopus eorum se perditioni, simulationique non miscuit: & qualis fuit illa sententia exponam, a qua referens voluntatem, indignus ecclesiâ ab episcopis, dignus exilio a rege est iudicatus.

NOTA.

Tempus & causa Concilii.

* *Concilium Arelatense.*] Cum post deuictum Magnentium, anno Christi 353. audisset Constantius, non ex Arianorum sententia euenisse, vt a Liberio papa ipsi iidem Ariani in communionem acciperentur, atque Athanasius damnaretur, in furorem exarsit; & vt ab omnibus episcopis Athanasius condemnaretur, teste Sulpicio lib. 2. publico edicto mandauit. A quo furore vt eum Liberius pontifex placaret, atque persecutionem cum Athanasio vniuersæ ecclesiæ imminentem anteuertere, legationem præcedente Romano Concilio decretam ad Constantium Arelate agentem ablegat. Qui cum post expetitum coram imperatore Concilium ab Arianis, quorum complures ibidem inuenerant, sollicitati fuissent, vt Athanasii condemnationi subscriberent, responderunt se id facturos, modo ante Arii hæresin condemnarent. Hac igitur occasione, *Itur in Concilium;* verba sunt Liberii in epistola ad Constantium: *accipiant cum deliberatione responsa: Arii doctrinam se damnare non posse; Athanasium, quod solum exigebant, communionem esse priuandum.* Seuer. lib. 2. *Petebatur, inquit, vt priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent, & tum demum de re cognoscendum, cum de persona iudicium constitisset. Sed Valens sociique eius, prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi, &c.* Postquam igitur hæc per decretum statuisent, principio Vincentium primum sedis apostolicæ legatum importunitate sua, atque Constantii imperio per vim & contumelias inducunt, vt coactus tandem & deceptus, Athanasii damnationi subscribat. *Quod cum ille per vim, vt inquit Athanasius apologia ad Constantium, coactus prestisset,* suo exemplo Fortunatianum Aquilicæ, & Herminum Theſsalonicæ ad idem facinus patrandum commouit. Ex eodem hoc Arianorû Conuenticulo, ideo quod Athanasii condemnationem detestarentur, vna cum Paulino Treuirensi episcopo in exilium missum esse Rodianum, nec non Lucium Annæum episcopum Moguntinum relegatum in Phrygiam, & secundo anno exilii sui, qui est Christi 354. Arianorum insidiis strangulatum, atque in locum eius ab orthodoxis Maximum subrogatum esse, acta eiusdem Maximi, quæ Tri-

Acta Concilii.

Vincentii lapsus.

ANNO CHRISTI 355.
 themius collegit, sæpe attestantur. Hæc ex prædictis auctoribus.
 Baron. anno 353. num. 15. vsque ad 23.

CONCILIVM^a MEDIOLANENSE

^b VNIVERSALE, AC REPROBATVM,

In causa Athanasii sub Liberio habitum.

Præter synodalem epistolam ad Eusebium Vercellensem scriptam, huius Conciliabuli, æterno silentio & obliuione digni, nihil extat. Epistolam ipsam post notas nostras, nostra hæctenus obseruata methodo, subiungemus.

NOTÆ.

* *Concilium Mediolanense.*] Hoc est illud Concilium, quod occasione promulgati ab imperatore edicti de subscribendo sub pœna exilii condemnationi Athanasii, a Liberio pontifice ad auertendam ab ecclesia imminentem persecutionem duabus legationibus supra habitis fuerat expetitur, & ab imperatore Constantio eo consilio ac intentione concessum, vt trecentos & amplius occidentis episcopos catholicos vno loco congregatos ad condemnandum innocentem Athanasium per vim compelleret, nolentes vero sedibus suis exturbatos relegaret.

Hoc Concilium a quibus indictum, & qua occasione ab imperatore congregatum.

^b *Vniuersale.*] Vniuersale & œcumenicum fuit Concilium, quod permisso Constantii imperatoris a Liberio pontifice est indictum. Ad hoc (orientalibus fere omnibus morbo vel itineris longitudine impeditis, pauci tamen præsentibus fuerunt) Lucifer episcopus Calaritanus, Pancratius presbyter & Hilarius diaconus sedis apostolicæ legati, cum occidentalibus episcopis trecentis & amplius conuenerunt, Arletione & Lolliano consulibus, anno nimirum Christi 355. qui est Liberii pontificis quartus, & Constantii imperatoris decimus nonus. Scribit enim Seuerus lib. 2. exilia episcoporum ex eodem Concilio irrogata prædictis consulibus contigisse. Tyrannidem Conciliabuli Eusebii Vercellensis præuidens, eidem interesse recusauit; per synodicas tamen ab Arianis nomine totius Synodi conscriptas, perque epistolam legatorum pontificiorum vt veniret rogatus, adfuit.

œcumenicum Concilium fuisse probatur. Numerus episcoporum.

Tempus Concilii.

Reprobatum fuisse Concilium, actorum quæ apud Hilarium, Athanasium, & Seuerum supersunt fragmenta euidenter attestantur. Cum enim huic Conuentui, ab ecclesia ad palatium translato, vna cum satellitio adhuc cruentus innoxiorum sanguine præsideret hæreticus imperator, cumque in eo Arianis omnia concederentur, catholicis autem episcopis, suffragiis eorum vetitis, intercisis ac vilipensis, omnia negarentur, parati astarent commentarienses

Concilium hoc reprobatum fuit.